



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCLXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

Et de sustinendâ opinione in hac, quæ proponitur, causa ob id minus laborandum videtur, quod per statuta seu leges municipales Namurcenses necessitas approbationis cuiusque testamenti apud Magistratum impolita sit, & approbationis modus restrictus ad certos modos: videlicet vel per duos testes, vel per Notarium & testem, aut Pastorem seu Curatum cum uno teste; potestate sub sola manu propria donandi, vel disponendi permittit in contractu, seu negotio inter vivos; ut scilicet maritus id ita possit, etiam invitâ uxore donando & alienando inter vivos; non etiam per actum ultimæ voluntatis.

Sed ne ex recepta opinione quorundam, qui idem privilegium piæ causæ, quod liberis attribunt, propositæ causæ præjudicium fiat, sed extra anticipis disputationis terminos hæc causa constituatur; hoc quoque dicimus, hanc scripturam, quæ pro testamento seu ultimâ voluntate Nicolai Gontard profertur, ultra manifestam imperfectionem solemnitatis, imperfectione quoque voluntatis laborare; ideoque nullo jure subsistere.

* Nullius enim testamentum umquam tam privilegium est, ut ullo modo subsistere possit sine plena voluntate testatoris, d. l. 1. §. si heres D. Si tabul. testam. null. extab. Unde est, quod ex ea scriptura, quæ ad testamentum faciendum paratur seu præparatur, si ex ea testator non testetur; hoc est coram testibus eam suam esse voluntatem non declaraverit, neque jure testamenti, neque codicillorum, neque alterius ultimæ voluntatis quicquid pati possit, l. Ex ea scriptura De testam. l. Fideicommissa §. 1. De legat. 3. Celsus Hugo consil. 102. Scripti anno prædicto, etiam favore & ad commodum piæ causæ, Decius consil. 488. In causa & lue nu. 9. quippe hujusmodi scriptura præparatio tantum est ad futuram testationem; ideoque pro exemplo dumtaxat est rei futuræ, d. l. Fideicommissa §. 1. nam præparatio & destinatio pro re ipsa & effectu rei non possunt accipi, l. Casera §. ult. De legat. 1. l. Si avia C. De iure deliber. Decius A. consil. 488. nu. 12. & seq. Cum igitur hæc scriptura non contineat absolutam assertionem testamenti seu ultimæ voluntatis, sed sit his verbis intitulata, *Forme du testament Nicolai Gontard*, hoc est, *forma testamenti Nicolai Gontard*; evidenter inde colligitur, quod huic titulo subiecta reliqua scriptura nihil aliud sit nec intelligi possit, quam exemplum & præparatio ad testandum; & minime aliquod testamentum aut voluntas absolute declarata. Neque enim quis facile suum testamentum scribendo, illud vocabit formam sui testamenti, sed in conformitate voluntatis, declarabit id esse suum testamentum; ut est in ipsa absoluta quacumque testatione.

8 Ut manifestum sit, evidentissimum esse discrimen inter testamentum, & formam testamenti; ut in illo voluntatis sit perfectio, in hoc verò aliqualid initium voluntatis, sed in futurum, non præsens tempus directæ, cum illius suspensione ad sequentē actus consummationem. Quippe forma est, ad quam res componitur, & rem ut tempore, ita re quoque præcedit. Atque hinc est, quod forma futuro contractui præscripta, pro ipso contractu non fit, l. Cum in plures §. locator D. Locati; sed à sequente conclusionē dependeat, l. Titia Conf. Wamef. Tom. II.

§. idem respondit De verb. oblig. Ut nec forma calcei calceus est, l. Sed est quicumque §. fin. Ad leg. Aquil. nec futuri operis ipsum opus propter defectum extremæ perfectionis, l. Adfecta §. perfecisse De verb. signif. Sic quod hæc scriptura nihil aliud ferè contineat, quàm brevem commemorationem eorum, quæ hic Nicolaus postea testando declarare constituerat. Et quia tantum constituerat, nec secundum constitutum seu propositum fecit, pro imperfecto totum haberi debet, d. l. Fideicommissa §. 1. * Quod evidentius percipitur ex annotatione anni in capite dictæ scripturæ, videlicet 1582. ascripta: ex qua data deprehenditur, hanc præparatoriam scripturam plusquam quatuor integris annis ante mortem Nicolai scriptam fuisse in bona valetudine; ut plerumque solent homines cauti, qui testari in animo habent dictam scriptamve habere suam voluntatem antequam testentur, l. Hac consultissima C. De testam.

Arguit quoque voluntatis hanc imperfectionem & illud, quod in scriptura hac nulla extet dispositio de bonis immobilibus ipsius præfati Nicolai, sed tantum aliquot legata, vel in numerata pecunia, vel in frumento, vel in panno. Et quamvis residuum legatis solutis relinquatur discretioni Guardiani ad distribuendum pauperibus, & residui seu reliqui appellatione totum etiam contineatur, l. Potest, l. Ceterorum De verb. signif. non tamen satis aperte constat, eam fuisse voluntatem dicti Nicolai, quod pauperibus quoque per dictum Guardianum distribuere illius bona immobilia; quorum vel in genere, vel in parte etiam minimâ in dicta scriptura nulla conspicitur mentio. Ita ut hæc verba, *La reste tout accompli*, hoc est, *residuum omnibus adimpletis*, omnino videantur esse referenda & restringenda, ad præexpressis seu præcedentibus similia; hoc est, ad mobilia bona, & præsertim pecunias testatoris, Atque ita in concursu harum circumstantiarum, nulla in dicta scriptura nobis contineri videtur perfecta & absoluta testatoris voluntas, aut illius testatio; sed dumtaxat exemplum & præparatio futuri testamenti, ex quâ seu secundum quam non constat, testatorem testatum esse, aut incommutabiliter voluisse hujusmodi annotata aliquot legatorum capita ex illa ipsa scriptura juris perfectionem & firmitatem habere: eaque ex causa dicti Nicolai hæredibus ab intestato apertam esse viam ad successionem.

De Testamentis.

CONSILIUM CCCLXXVII.

Suprà est duplicatum consil. 129. ideoque hic omittitur.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Testamentum à malè loquente conditum.

1. Testamentum vitatur ex imperfectione.
2. Testamenti substantia non consistit in instrumento.
3. Instrumenta deperdito veritas rei aliter probari potest.

O 3

4. Testis

4. Testis non debet instrumento subscribere.
5. Superflua perperam adhibita non nocent.
6. Heredes instituere possumus quos volumus.
7. Persona turpis quando possit heres institui.
8. Apoplexia gradus quidam sunt.
9. Testamenti tenor demonstrat, in qua sanitate mentis testamentum scriptum sit.
10. Loqui nesciens articulatè an testamentum nuncupativum facere possit.
11. Loqui articulatè quis dicatur.
12. Constitutum habet vim naturalis & realis traditionis.

CONSILIUM CCCLXXVIII.

SCRVPLVM nullum habet, quoddè de validitate testamenti quondam Domicellæ Mechtildis Schenking proponitur. Habet enim omnia sua sollemnia, quæ universalis consuetudo & observatio per totam ferè Germaniam inferiorem & superiorem frequentata, requirit; nuncupationem scilicet ultimæ suæ voluntatis, coram Notario & duobus testibus factam. Idque in duplici qualitate: nam Notarius testamenti, in qualitate Notarij, & præterea Secretarij Oppidi Bocholdiensis adhibitus est; & testes ut testes, & præterea, ut Scabini ejusdem Oppidi, appenso ejusdem Scabinatus sigillo: ita ut neque de fide veri, neque de sollemnitate ac forma, moribus, & consuetudine requisita quicquam dubitandum sit.

* Vnum tamen est, quod dubitationem excitare posset; quod videlicet testes in instrumento, post Notarij subscriptionem & subsignationem pro testimonio rei actæ, declarent se huic testamento subscripsisse, & sigillum Scabinatus appendisse; cum tamen nulla eorum subscriptio invenitur. Videtur enim in eo imperfectionis aliquid esse, quæ validitati testamenti semper solet obviare, l. si n. qui testamentum De testam.

2. Cæterum dubitatio hac ratione discutitur ac resolvitur; quod testamenti perfectionem conficiat ipsa nuncupatio coram Notario & testibus facta; non ipsum instrumentum de nuncupata voluntate id enim ad probationem & memoriam rei actæ pertinet, non ad substantiam, l. Hac consulti sumus, Auth. Hoc inter liberos §. per nuncupationem C. De testam. 1. cum de perditio instrumenti rei actæ veritas testibus probari possit, l. Sicut iniquum C. De fide instrum. 1. Et admissio, quod scriptura instrumenti sit substantialis, & sic necessaria: ejus tamen perfectio non dependet à testium subscriptione, sed à propria Notarij subscriptione & subsignatione, Ioan. Andrea in addit. ad Specul. tit. de fide instrum. §. videndum, Castren. conf. 307. Ad primum questum videtur dicendum vol. 1. Alex. conf. 5. vol. 1. Bald. in Authen. Quod sine C. De testam. Sufficit enim testes esse inscriptos instrumento per Notarium, licet ipsi non subscribant, c. 2. De fide instrum. Canonista in c. Cum Ioannes De fide instrum. Alex. in l. Iuris gentium §. quod fere nu. 4. De pactu.

3. Cum itaque perfectio instrumenti concludatur his finibus, nihil nocere debet imperfecta minimeque necessaria subsequens approbatio testium, qui in qualitate testis subscribere non debebant: præsertim quia ex tenore nuncupationis constet

eos simpliciter adhibitos esse ad exhibendum testimonium, non ad subscribendum (quo casu defectus subsequentis subscriptionis aliquid momenti haberet, argum. l. Contra actus De fide instrum. 1. & in qualitate Scabinatus nihil nisi sigillum appendere debebant, Ex moribus enim & consuetudine in literis Scabinatibus non requiritur eorum subscriptio, sed subsignatio, hoc est, subsignatio tantum * Proinde cum subiecta approbatio seu testificatio eorum Scabinorum superflua sit, nihil nocere debet, si in ea comperiatur aliquid vitij vel defectus: nam regula est, quod ea, quæ ad actum aliquem necessarii non requiruntur, si adhibeantur perperam, vitijandi aut annullandi effectum non habeant, ne abundans cautela noceat, l. Testamentum C. De testam. Quem admodum aperte decisum est, l. Cum tabula l. e boni possit, l. eund. tabul. si ex juris communis dispositione, testamento adhibitis octo testibus, unus signum seu sigillum sit detrahitur aut incisum, testamentum non videri incisum aut revocatum. Commemoratio igitur subscriptionis verosimiliter adiecta est, vel per errorem, vel per scriptorem, ignorantibus prædictis Scabinis.

Et hæc quidem quoad externa ac sollemnia testamenti. Similis quoque conditio est interiori seu dispositorem in instrumento. 1. Nam titulo institutionis (exceptis paucis legatis) filijs & filiabus Gerardi fratris sui, ex prioris ejus matrimonio natis, reliquit omnia bona; in quo nulla est reprehensio: cum qui liberis caret, possit quos velit, sibi heredes instituere, Inst. De hered. inst. in primis. præteritis aut exclusis etiam his, qui ab intestato alioqui essent successuri. * Ita ut neque præterito Gerardi fratris, qui tum adhuc superstes erat, neque præterito liberorum ejusdem Gerardi, ex posteriore eius matrimonio hic quicquam faciat, vel ad nullitatem, vel inefficaciam querelam; ad quam excludendam, sufficit respectu fratris, turpes personas non esse institutas; uti hic evenit, l. 1. de inoff. testam. l. fratres C. eod. tit. & liberis fratris aut fororis, quacumque etiam personâ institutâ, numquam datur querela hujusmodi, d. l. fratres C. De inoff. testam.

Quod testatrix dicatur apoplexiâ laborasse, nihil iacet ad invalidandum idem testamentum: tum quod illa tempus testamenti antecesserit, & maxima ex parte cessaverit tempore quo testamentum factum fuit, ipsaque testatrix decem fere annis postea adhuc vixerit: quod indicium est, eam mentis integritatem non amisisse: tum etiam quod apoplexia non semper sit in toto corpore, sed sæpe in ejus aliquâ parte tantum, quæ hemiplagia dicitur, Volaterran. lib. philologia 24. Ideoque ex Medicorum sententia, Galenus in 2. aphorismis. apoplexia gradus quidam sunt, ut nisi alia sit fortior & vehementior, alia statim interficiat; alia in paralytum & chronicum morbum, manente tamen integritate mentis, resolvatur. Et denique quod ex tenore instrumenti de testatrix aperta nuncupatione constat, ex assertionem tum Notarij sub fide testium, quam prædictorum Scabinorum, constat quoque idem ex subsequente donatione, multis annis postea factâ (de qua paulo post dicitur) in qua

